

5.

In Nativitate Domini. Ad Vesperas.

1. Christe redemptor omnium  
Ex patre patris unice  
Solus ante principium  
Natus ineffabiliter.
2. Tu lumen, tu splendor patris,  
Tu spes perennis omnium  
Intende quas fundunt preces  
Tui per orbem famuli.
3. Memento salutis auctor,  
Quod nostri quondam corporis,  
Ex illibata virgine  
Nascendo, formam sumpseris.
4. Sic presens testatur dies  
Currrens per anni circulum  
Quod solus a sede patris  
Mundi salus adveneris.
5. Hunc celum, terra, hunc mare,  
Hunc omne, quod in eis est,  
Auctorem adventus tui  
Laudans exultat cantico.
6. Nos quoque, qui sancto tuo,  
Redempti sanguine sumus,  
Ob diem natalis tui  
Hymnum novum concinimus.
7. Gloria tibi domine,  
Qui natus es de virgine,  
Cum patre, et sancto spiritu,  
In sempiterna secula. Amen.